

APPELLATIO ET PRO-  
VOCATIO.

S A M V E L I S H V B E R I  
Doctoris S. Theologiæ,

A D O M N E S E T S I N-  
G V L O S T H E O L O G O S , S V-  
P E R I N T E N D E N T E S , P A S T O-  
r e s , Diaconos Ecclesiæ I E S V Christi , Au-  
g u s t a n a m c o n f e s s i o n e m p r-  
f i t e n t e s :

I N Q V A

Judicium ab his petitur : An æquum & Christia-  
num sit , Fidei Confessionem æditam sub titulo ,  
Erklärung vber diese Proposition / Das Gott in Christo  
I E S V alle Menschen zum leben verordnet  
vnd erwehlet hat : abnegando & recan-  
tando , anathemati subijcere ,



1 6 0 4.

iogr. er. D.

593, 32

Aus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885

13189

# SALVTEM ET PACEM A CHRISTO IESV DOMI- NO NOSTRO.



Ommunis esse debet labor, Reuerendi, Doctissimi & venerabiles viri & fratres in Christo Iesu, ut lux Iesu Christi Saluatoris nostri, in gloria sua apud nos, & in eadem ad posteros propaganda, contra errores & tenebras defendatur: omnes qui hic officio suo fideliter funguntur, ituri sunt in gloriam & regnum Patris: qui vero vel ipsi errores excogitarunt, vel aliunde excitatis non pro virili restitetur, rationem reddent pro horum omnium perditione & interitu, in quibus sanguis Iesu Christi filij Dei, quo emi erant, ipsorum perire incuria & negligenteria. Magnus & augustus erit ille dies, quando singulorum pro nomine Iesu Christi sanctificando adhibitus labor, in conspectum iudicis & omnium creaturarum prodabit.

Quamobrem cum vos in isto officij genere operarij sitis IESV CHRISTI, in cathedris, & speculis sedentes ecclesiae, dilectissimi in Christo fratres, & obstricti, ut rei tangentiae curam atque memoriam nunquam debeat animo vestro ejcere: ideo confidentia vsus, hanc meam confessionem typis ut videtis vernacula lingua excusam, sub titulo: Erklärung über diese Proposition, Das Gott in Christo alle Menschen zum Leben verordnet und erwehlet habe / vobis examinandam & iudicandam propono. Quae si ita est, ut veritas Euangeli & quicquid Iesus Christus pro nostra omnium salute perfecit, in ea luceat & fulgeat ad concipiendum veram fiduciam in eum, cogitate, quod sitis lux mundi propter testimonium quod veritatem dandum est, & quidem in techo atque super candelabrum, non sub modio; dabitis ergo veritati testimonium contra tenebras.

A 2

nebras.

nebras. Si verò in hac doctrinæ confessione veritas & lux Euangelij vobis non esse videbitur, aut aliquid deprehendatur, quod Euangeliu Christi Iesu, & veræ fidei in ea fundandæ, vel nunc vel in futurum nocumentum afferre possit, id quoq; palam monstrabitis & redarguetis, & ijs causis, quibus ad tribunal Christi intrepidè accedere in ijsq; perlittere audebitis. Hoc ideò faciendum, vt veritatis & salutis nostræ sempiternæ patrocinio suscepto, erroribus & præsertim illis occurratur, qui vt D. Lutherus in libro de Ecclesia & concilijs grauissimè monet, Antecedens tale faciunt, ex quo ineuitabile consequens allaturum naufragium fidei Christianæ, oriri necesse est. Non enim in hoc tantum attendendum, quid iam disertis verbis vel ab hoc vel ab illo nondum proferratur & asseratur, sed cuiusmodi principia statuantur, ex quibus non potest non vera Iesu Christi lux & notitia extingui.

Ipsit verò ex Spiritu Dei quo vñcti & opulentur repleti cæstis scientiâ in cælestibus, facile intelligere potestis, illud in quavis doctrina ex suo Antecedente dijudicanda, maximum semper *κριτής οὐ* esse debere, an obiectum in quo fides viuere & recumbere debet, lucem habeat, vt homo Christum in eo cum gratia & thesauris suis fulgentem & intuentem nos, atq; ius potestatemq; viuendi ex decreto adeoq; iussu suo & ordinatione sua aperientem, aspicere possit & agnosceret, vt eo pacto vitam donatam & destinatam ex iure delinationis & ordinationis vendicare nobis & assumere possumus. Frustra enim & in nihilum fidem iactamus, si aliud obiectum aut tale exhibetur, in quo homo nihil habet ex antegresso decreto & ordinatione atq; exhibitione seu donatione Dei, credendum & assumendum: vt sunt omnia illa quæ in obiecto habent particularitatem, id est, dubitationem ad quem pertineant. Quis enim crederet, si ex obiecto non liquido & certò constet & patefiat, quod à Deo sit ei hæc quæ annunciat, desti-

destinata gratia? Quid? annón h̄ic fidem tabescere necesse est propter surreptam aquam vitæ, per & propter incertitudinem in obiecto fidei? necnon vltro & statim sequitur vnā cum fidei euanescentia odium & fastidium, ex mera desperatione, aduersus totum Euangelium. Hoc est illud Consequens oriturum ex doctrina quæ inobiecto fidei particularitate id est officinam tenebrarum & dubitationis fabricat.

Huius rei euidentia me semper compulit, vt in ista confessione, quam vobis exhibeo examinandam, vacillare aut ab illa deficere nunquam potuerim, oculis meis semper apparente Christo I E S V, ex constanti luce & veritate Euangelij ipsius, in quo monstratur & annunciatur vita in eo recuperata ad salutem totius humani generis, hic fulget in vera luce & veritate verum fidei obiectum, imo ipsum cœlum, vt Christum in gloria gratiæ suæ (vt Paulus loquitur) aspicere, & omnia quæ pro nostra salute fecit, per fidem apprehendere possumus. Perdit enim cum essemus & filij iræ facti atq; mortis, primi culpâ Adami, beneficio huius alterius Adami, qui est Dominus de cœlo, omnes sumus Deo reconciliati, omnesq; redempti à morte, vitâ datâ toti mundo, nemine omnium hominum in hoc altero Adamo præterito, non minus, quam in priore quo ad mortem, nemo quoq; præteritus erat. Ideoq; fit causa condemnationis reproborum, incredulitas, cuius culpam habere nullam possent, si in isto beneficio vitæ & ordinatione ad salutem, præteriti fuissent. Splendere ergo debet in vero fidei obiecto Christus in ijs, quæ pro nobis præstítit, & quæ nobis decreuit & ordinauit morte sua, quam pro omnibus passus est, id est, facto ipso demonstrans omnes homines, (quippe cum omnes homines redemerit à morte,) esse in eo ad vitam reparatos, ergo etiam ad eam apprehendendam electos, ordinatos atq; destinatos.

Hoc cùm ita sit, iam videt homo quisquis est, ad se ordi-

A 3 natio,

nationis respectu pertinere vitam, non minus quam ad alios: ius itaq; & potestatem & *παρέγγελτιαν*, se habere intelligit<sup>1</sup>, eam sibi per fidem usurandi, vt sic viuens in Christo, contra mortem & infernum tutus & verè filius atq; hæres Dei omnem in Christo hæreditatem possidens, esse possit: quod ex alia quam tali electione ac destinatione ad vitam, quæ **CHRIS**  
**STVM** verè vniuersalem toti mundo exhibit, habere non potest. Nam si in obiecto nulla est vox Euangeli, quæ doceat & personet Christum vitamq; sanguine Christi recuperatam, ex Dei decreto & destinatione ad nos perdinere, nemo, nemo, nemo sibi ius facere poterit, aliquid in Christo querendi aut accipiendi: similiter, si ibi fulguret particularitas, quod in Christo pauci sint ordinati & electi (quibuscunq; coloribus illud obiectum pingatur) ad vitam, nulla quoq; est certa sub incerto & dubio obiecto subsumptio, sed dubia tantum sub dubio; itaq; nullus patet ad tale obiectum aditus, cordibus conflictantibus dubitatione de gratia & misericordia Dei, atq; liberatione à morte, & per consequens nulla etiam fit communio cum Christo. Hic pandit se dubitacionis & desperationis seu tenebrarum abyssus. Hæc praxi demonstrantur in temptationibus.

Ideò omnino necesse, vt obiectum fidei sit atq; maneat fulgidum ex Euangilio, demonstrans Christum, in quo se Deus omni gratia ad salutem & vitam nostram effudit, absq; villa ullius hominis præteritione. Atq; hæc est Electio vel Ordinatio vel Destinatio omnium hominum in Christo ad vitam, ex qua omnia media salutem exhibentia, constantem & veram semper atq; seriam, sanguine Testamenti filij Dei corroborata, habent voluntatem Dei, qui vult vt omnes homines conuertantur & salui fiant: quocirca fides quæ vera & constans fides esse debet, & quæ in Deo omnia quæ per Christum donata sunt, cum *πεποιθήσει* & *παρέγγελτι*, certam & infalli-

infallibilem ex obiecto habens hypostasin , participat , non  
potest aliam quam vniuersalem omnium hominum ad vitam  
in Christo factam electionem semper cum verbo & in verbo  
lucentem , in obiecto suo habere . Ex quo deniq; satis appa-  
ret , cauendum pugnandumq; esse , ne fidei obiectum detur ,  
quod nullam habeat electionem , aut quæ particularem habe-  
at , aut quæ fidei postponatur , ex qua postpositione fides si-  
mul & electio euertuntur . Nam fides nulla est , in quo nulla  
est electio seu ordinatio Dei ad accipiendum id quod an-  
nunciatur de dono & gratia vitæ : & electio nulla est , quæ fi-  
dem id est nullitatem talem ponè sequi debet .

Similiter omnis perimitur fides , se de dupli Voluntate  
nouum hoc in ista cōtroversia admisceatur artificium , in hoc  
inuentum & excogitatum , vt per hanc duplicitatem & eu-  
cuationem electionis & ordinationis ad vitam , in Voluntas  
te ( vt vocant ) antecedente , quæ obiectum esse debet fidei ,  
ex toto obiecto electio euellatur seu ordinatio ad vitam , in  
Christo . Hic verò per se abunde confessim patet , quod elec-  
tione ibi euulsa , voluntas monstretur quæ præteritionem  
habet , & in ea meram simulationem gratiæ & terribilem lu-  
dificationem : quod fidei præsentissimum semper affert ex-  
itium .

Ex quibus hoc quoq; obseruandum , quæstionem in isto  
certamine non esse , an pauci sint Electi , id est , an pauci sint  
credentes & Euangeliō obedientes , ( nam hæc est vocabuli  
seu epitheti huius vis in loco , Matth. 20. 22. ) sed num in actu  
eligendi & ordinandi nos per Christum ad vitam , Deus per  
Christum paucos homines elegerit aut ordinari & destinari  
ad vitam ? hic omnis est pugna : pugnatur enim quid de  
obiecto fidei , non quid de ipsis credentibus dicendum & do-  
cendum sit . Locus autem ille scripturæ , nihil loquitur de ob-

iecto fidei, quasi Deus paucos per Christum ad vitam elegeret, sed loquitur de ijs qui vitam in Christo ad quam iam antè electi erant, fide possident, & *εκλεκτοὶ* dicuntur, propter veram præstitam obedientiam.

Videte in rei ampliorem & meæ cum Ecclesia nostra firmissimæ confessionis certitudinem, D. Lutherum, Hauffenstein in Euang. Septuagesimæ. Theodoricum Vitum, in summijs super Matth. 20. Sigfridum Saccum super eundem locum, in postilla ipsius. Brentium in Maiori Catechismo super verba, Pater noster qui es in cælis: & eundem, in Psal. 31. Erasmus Sarcerium in meth. script. fol. 27. & eundem in Ephes. cap. 1. Selneccerum, in Rom. fol. 231. & 227. Chytræum, in Matth. cap. 20. Vigandum in Syntagmate de prædest. Et in Ephes. 1. Thesaurum Vogelij, fol. 578. D. Zachariam Schilterum in doctrina quatuor locorum, fol. 41 & in disputacione Gedicciana; de prædestinatione thesi, 72. D. Mylium, in der Predigt von der Gnadenwahl / fol. 17. & 22. D. Mamphrasium in libro Von der Gnadenwahl. fol. 4 Iam videatur quoq; liber concordiæ, Dresl. fol. 204. Hæc omnia sunt vno consensu tradida, & recepta in Symbolum Visitationis Saxonicae. Videte, in Apologia Visitationis huius, fol. 290. 291. 307. 329. 331. 342. Videte inquam symbolum in quo Saxoniam persistere debet.

Ab hac Saxonica visitatione & symbolo in quo Deus Saxoniae Electorali, Thuringiae & Misniæ corustum, magnificum sincerum, & illustre hoc ineffabili cum gratia repurgatum à Caluiniano mucore reddidit lumen, nemo Provincijs istis qui fide obstrictus est, absq; manifesta & detestabili defectionis nota, discedere potest. Ego verò nec defeci, nec quoquam defectionis, sed solum immotæ fidei & constantiæ reus peragor.

(Satis

Satis declaraui sententiam meam: hæc ipsa quam videtis & auditis Ecclesiæ nostræ consensu & publico Symbolo, contrariâ cœcta & damnata, approbatam esse, semper à me tradita est constanter & immotè, in omnibus meis scriptis & omnibus actibus certaminis istius: neq; vlla vñquam alia est à me vel cogitata vel asserta, per calumnias autem quas in ista declaratione detexi & confutau, fuit ( vt fit ) horribiliter infamata. Propter hanc & nullam aliam confessionem & fidem, exilium fero decennale. Cùm verò iam res ad veritatis, meaque tanto tempore calumnijs oppressæ innocentiae patefactionem & ad ipsum scopum accedere visa esset, iubeor, abrupta omni alia ulteriore cognitione, iubeor inquam ab aduersa parte, hanc confessionem fidei meæ, quam eis, sicuti nunc est typis euulgata, examinandam prius miseram, abijcere & in conspectu totius Ecclesiæ publica reuocatione & recantatione damnare, atq; vicissim fidem amplecti & tueri, huic ex diametro contrariam. Id verò non in me tantum, sed in totam recidit Ecclesiam, præsertim Saxoniam Electoram, quæ hius anathematismi ( quo Visitatio Saxonica anathematifanda & eradicanda est ) sensura & expertura est effatum, si per maturum non occurriatur iudicium.

Oro ergo vos qui testimonium habetis I E S V C H R I S T I, omnes & singulos, per eundem Iesum Christum, in cuius stabimus conspectu iudicandi iuxta testimonium istud, & ad quorū appello corda atq; confessionem, vt clare & perspicuè vestrum mihi pro pace & salute ecclesiæ aperiatis iudicium, an existimetis doctrinam istam abijciendam, & publica recantatione damnandam, atq; eo modo ex Ecclesijs nostris ( præsertim Saxoniciis hoc symbolo illustratis & reformatis ) & cordibus nostris liberorumq; nostrorum eliminandam esse, & vicissim accipiendam aliam huic oppositam, quod Deus per Christum I E S V M paucos aut aliquos tantum hos

tum homines elegerit , aut ( quod idem est ) ordinarit & destinarit ad vitam ? ita autem vos patetacite , vt simul intellegi possit , vtram vos sitis pro vestra quoq; salute defensuri sententiam , in hoc & futuro seculo , vbi nulla cuiusquam hominis authoritas & potentia vobis patrocinium erroris praestare poterit : & diligentissime in timore D O M I N I perpendite , an existimetis , salua Euangelij veritate , veroq; fidei fundamento , & salua atq; incolumi Ecclesiarum nostrarum confessione , doceri , & ad posteritatem nostram propagari posse , quod Deus paucos , aut aliquos tantum homines per Christum I E S V Melegerit seu ordinarit & destinarit ad vitam ? Non nouum est , ad pastorum classes audiendas itum esse , tota communi periculo conuoluta Ecclesia .

Res agitur magna , & vt omnibus latis manifestum , hæc quæ iam cuditur paucitas , electioni intrudenda , quandiu suos habebit assertores , semper quaßando quaßabit & impugnabit Euangelij fundamentum & veritatem de Christi morte piæstata pro peccatis totius mundi , semper tollet & abolebit subsumptionem & fidem , semper infundet incertitudinem in vocationem , quâ vocamur ad vitam , semper Deum suspectum faciet de veritate sua , omniaq; dubia faciet in Sacramentis . Sicut enim paucorum in Christo ( vr̄isti de Electio ne loquuntur ) facta electio , dubia est , & quæ quoad nos intenebris absq; vlla notitia semper manet ficta in super & contumeliosa aduersus Christum : ita nihil nisi dubitationem , vacillationem , ægritudinem , odium & incertitudinem in omnibus quæ et adhærent , & in omnibus quæ attingit etiam , exhibere potest . Nec desunt documenta , quibus ista eluies iam patefacta , demonstrari potest .

Quapropter consulite Ecclesiæ h̄ic in imo & principali suo fundamento periclitanti , luctantemq; subleuate fratrem :  
nec sini-

nec sinite, si veritatem perspexeritis, vt per latus eius ingen  
aliquid Ecclesia accipiat malum, totum postea redundatum  
rum in caput vestrum. Audit nos IESVS CHRISTVS,  
quid à vobis petam, & audiunt omnes angeli testes futuri ve-  
stri testimonij, quod veritati dandæ, ne occumbat, singuli  
cùm ab eis petitur, absq; difficultate & mora vt ministri lucis  
albis induiti in exercitu Christi, præstare ex officio tenentur.  
Hic valebit illud, quod Christus ipse maturè præmonuit, pro  
dispersoribus & hostibus habendos & iudicandos esse, quot-  
quot cum ipso non congregant, aut quos nominis pudet &  
Euangelij ipsius. Non agitur, vt coram ipsi videtis, de Hu-  
beri persona, sed de doctrinâ & puritate Euangelij atq; certi-  
tudine salutis in Christo accipiendæ: ne si publico anathema-  
tismo condemnetur in vna, vel mea vel alia persona, tota ve-  
ritatis lux, alijs quoq; similiter vel periclitaturis, vel in con-  
sortium culpæ attrahendis sensim, & tandem funditus extin-  
guatur. Responsum oro ne differatis, & mittatis non graua-  
tè Halam ad manus Reuerendi Domini Superintendentis.  
Valete in Christo Iesu, de cuius agitur nomine & gloria. Ha-  
lx Saxonum Anno. 1604. Die Resurrect. Christi IESV.

Vestri obseruantissimus &  
amantissimus.

Samuel Huberus D.  
m. p.

Chandilli 2  
9. 11.

Biogr. erud. D 1593, 3<sup>r</sup>